Quelle: https://manuscripta.at/?ID=365
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

dine et sine molestia quandam animam de corpore
tolleretur. Unde in uita patrum dicitur quiddam de quodam
uiro sancto qui orauit dominum ut ei ostenderet
qualiter anima educeretur. Forte die quadam
cum exiret de cellula sua uidit ante se
pauperem iacentem iuxta uiam in extremis
uite laborantem. uidit quoque angelos iuxta
uiam circa illum stantes et expectantes ani
mam ut illam deportarent ad celestem locum
quietis. Cumque ibi moram facerent angeli in
sonuit uox de celo ad angelos ibi stantes.
Ut quid diu illic moramini? Et dixerunt
angeli. Precepit dominus ut sine corporis an
gustia animam istius educeremus. quod non pos
sumus. Et hoc dicto statim multitudo an
gelorum et prophetarum descendit cum musicis instru
mentis. quorum modulatione dulcisona de
linita est anima. et egressa a corpore absque omni
angustia. cum illo sancto comitatu ad celum
pennis euolauit. Assumptio proprie dicitur transi
tus beate marie. Depositio sancti iohannis euangeliste
quoniam locum sepulture uiuus intrauit et se ibi
deposuit. Dormitio dicitur mors sanctorum quasi
quies. et sicut post sompnum integer et ua
lidior surgit homo. sic et sancti sine difficul
tate resurgent in corporibus glorificatis quasi
a sompno euigilati. Unde dominus de lazaro mor
tuo dixit. Lazarus amicus noster dormit. Festo
rum quedam generalia. quedam peculiaria.
Generalia sunt que generaliter ab omnibus celebrantur. ut
festa trinitatis. et beate marie et sancte crucis. a
postolorum et euangelistarum. et sancti Iohannis baptiste et sancti lau
rentii. et sancti Nycolai. et sancti Siluestri. et sancti
Martini. Festa peculiaria sunt que in una pro
uintia tantum coluntur. ut festum beati Hylarii. uel
in uno episcopatu. uel in una uilla. uel in una
parrochia. Et notandum quod in colendo festa
quedam dignitas. uel ordo est attendendus.

festa enim trinitatis digniori cultu est cele
branda. Secundo festa beate marie. sed precipue
festum assumptionis. Tercio festa sancte crucis
que sunt duo. De aliis facile est uidere intelligen
ti. quot sint festa trinitatis. quot beate marie. et
causas festorum. et quare quedam non suo tempore
sed alieno celebrentur. sequentia declarabunt.
De letaniis modo di
cendum esset. sed quia in sequentibus
de illis dicturi sumus. uel de festis
secundum uarietatem temporum tractabimus.
ideo ad presens pretermittamus. et de statio
nibus dicamus modo. primo quid sit statio et
quare sic dicatur. Secundo unde initium habue
runt. Tercio quot sint earum species. Quarto quare
instituta sit sollempnitas huiusmodi
stationum. Quinto quare sint faciende. Sexto
que sit differentia inter stationes. et processi
onem et letanias. Statio proprie in hoc loco
accipitur. uocatur processio facta ad aliquam
ecclesiam. ad persoluendum gratias deo. et dicitur
statio quia stantes deo gratias persoluimus
non genibus flexis sicut in letaniis nec
supplicationis uoces gerimus. sed uoces
laudis deo cantamus. Uidentur autem stationes
a ueteri lege initium habuisse. tunc enim populus
iudeorum. et etiam multi gentiles in ie
rusalem conueniebant. in magnis sol
lempnitatibus ut in pascha et pentecosten.
ut adorarent in templo. et grates deo
persoluerent. et offerebant. Ab illa igitur an
tiqua consuetudine adhuc obseruat
ecclesia. ut in septimana paschali et
pentecosten ad episcopalem ecclesiam conue
niat populus de uillis et oppidis adiacen
tibus ciuitati. Alie stationes a roma
nis institutiones habuerunt. qui in hu
iusmodi maxime gaudent. Et enim